Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 5
Quelle:
Copyright:

Pſalmorum, quae incipit: *Dauid filius ieſſe cum eſſet in regno ſuo quatuor elegit qui pſalmos facerent. Id eſt. Aſaph. Eman. Ethan. et Iduthun.* &c. Inter alia *Pſalmum* I. non eguiſſe Titulo inde probat, quod alioquin ad Chriſtum pertinere ex iis verbis noſcatur: *Et aduerſus Chriſtum tuum*, quae nequidem in I. ſed in II. *Pſalmo* leguntur. Succedit *Hieronymi* Praefatio, et Titulus: *Incipiunt Pſalmi Numero CL.* At vero hi Codice exemti, ut Monachorum in choro Pſalmodiae fortaſſis inſervirent, ipſo uſu deperiere. Textus Exempli hujus a prima manu ſatis integer etiam quasdam a ſecunda caſtigationes accepit. Cap. II. *Gen. v.* 4. pro: *Iſtae ſunt generationes coeli et terrae*, legitur: *Hic liber generationis* &c.

II.

R.3 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. nunc 171. fol. max. eſt *Pars poſterior* ſacrorum *Bibliorum*, ejusdem cum praecedente rationis, niſi quod diverſos occupavit Librarios, pertinuitque olim, ut ora ima *fol.* 1. teſtatur, ad idem *Neapoli* Monaſterium. Initium modo ducit a *Parabolis Salomonis*, quarum Praefatio *Hieronymiana* et Titulus deperiiſſe videntur. Deperiere vero etiam, ut jam nunc dicam, poſt *fol.* 52. cum *Jobi* initio folium unum, poſt *fol.* 107. a C. XIX. *Matth.* folia plura, poſt *fol.* 114. a C. XVII. *Lucae* folia plura, poſt *fol.* 133. a medio *Epiſtolae Jacobi* folium unum, poſt *fol.* 154. a fine *Epiſtolae I. ad Corinth.* folia duo, denique poſt *fol.* 160. a medio *Epiſtolae ad Philipp.* folium unum. *Parabolas* porro *fol.* 7. praevio Capitulorum XXXII. Elencho excipit *Eccleſiaſtes*, *fol.* 9. p. 2. ſuccedunt *Cantica* vocibus interloquentium pro veteri more diſtincta, *fol.* 11. p. 2. praevio XLVII. Capitulor. Elencho *Liber Sapientiae*, *fol.* 16. p. 2. praemiſſo *ſuo* Prologo et Elencho CVIII. Capitulor. quorum ultimum inſcriptum: *Oratio Salomonis* adſutum eſt e L. III. *Reg.* c. 8. et II. *Paralip.* c. 6. *Liber Ibeſu Filii Syrach.* Tunc demum *fol.* 31. reditur ad *Paralipomena* inſtructa *Hieronymi* Prologo. His jungitur *Job*, ut jam dictum, ἀκέφαλος. *Fol.* 60. poſt *Hieronymi* Praefationem incipit *Tobias*, *fol.* 63. p. 2. poſt ejusdem Praefationem *Judith*, et *fol.* 68. ſimili modo *Heſter*, ſinguli absque ulla Textus diſtinctione. *Fol.* 73. poſt *Hieronymi* Praefationem habetur *Liber Ezre*, uterque uno contextu, nulla, niſi ab alia manu in margine, *Nehemiae* mentione. Demum praemiſſo *fol.* 81. LXIII. Capitulor. Elencho *Liber Machabaeorum* I. et *fol.* 92. praemiſſo LVII. Capitulor. Elencho L. II. Teſtamento *veteri* finem faciunt. Omnium horum Librorum Tituli, et frequenter etiam Clauſulae characterе unciali miniato, initia vero litera ſpecioſe picturata maxima gardent, quod jam in principio monueram, deque *Novo* pariter Teſtamen-